

Obj. 8. Peccatum definitur a D. Th. q. 71. art. 4. *Dicitur, factum, vel concupitum contra Legem Dei*: & q. 72. a. 7. dividit illud in peccatum cordis, oris, & operis; atqui hæc doctrina stare non potest, si actus externi non sint peccata ab internis distincta: ergo. R. N. Min. Non enim in hac definitione, & divisione sumuntur dicta, & facta, seu peccata oris, & operis, pro solis actibus exterioribus quasi importantibus distinctam malitiam ab interioribus, sed pro actibus exterioribus, junctis interioribus; & sensus est, dari quædam peccata purè interna, quæ in sola voluntate consistunt, & in opus ad extra non prorumpunt, ut sunt malæ cogitationes; & hæc sunt peccata cordis. Quædam sunt, quæ ad externa verba, vel facta transeunt; & hæc, prout includunt tam actus interiores, quam exteriores, sunt peccata oris, & operis. (*Infr. q. 72. a. 7. ad 3.*)

Obj. 9. juxta quosdam Thomistas, imò S. Thom. appetitus sensitivus ex conjunctione ad voluntatem participat aliquam libertatem: ergo ea mediante potest participare bonitatem, vel malitiam distinctam ab ea, quæ est propria voluntatis. R. Quidquid sit de hac difficultate, de qua suo loco; quæstio præsens est de actu exteriori, qui non est capax libertatis intrinsicæ.

Inst. Salmem, secundum nos, voluntas movendo alias potentias imprimat reale in illis: ergo aliquid bonitatis, vel malitiae. R. N. Conseq. Quia, quod imprimitur a voluntate imperante in potentias inferiores, est quid physicum, dicens ordinem ad actum imperantem ut moventem, non ut regulantem: actus enim imperans non est regula, sed regulatus. Moralitas autem desumitur ex ordine ad regulam, & non ad physicè movens.

Obj. 10. Si actus exterior nihil addat bonitatis interiori, sequitur 1. superflue exteriori, adeoque nos nihil debere agere, sed tantum velle. Frustrà enim fit per duo, quod potest fieri per unum. Sequitur 2. Voluntatem convertendi mille homines, aut exercendi mille actus charitatis erga proximum, esse æquè bonam, & meritoriam, ac fore actualis conversio mille hominum, vel actualis exercitium mille actuum charitatis; utrumque consequens est absurdum: ergo. R. ad 1. N. Sequelam, & ejus suppositum; non est enim actus interior perfectus, nisi voluntas operetur exteriori, dum potest, cum in eum tendat ut in finem, & terminum. Insuper actus exterior cadit sub præcepto, & confert ad præmium accidentale, generat bonos habitus, diutius bonam voluntatem fovet, & sæpè intendit, edificat proximum, bono communi conducit, &c. Ad 2. N. pariter sequelam. Quia conversio mille hominum, aut executio mille actuum charitatis, non est nata sequi ex uno actu interioris voluntatis, sed ex pluribus tum internis, tum externis: sententia autem nostra intelligitur de actu exteriori, qui natus est sequi interioriorem tanquam mera ejus executio, habens eandem cum ipso rationem voluntarii.

Obj. ultimum. Inter errores damnatos Abayardi recensetur iste: *Nos verò dicimus, quod sola voluntas a Deo æternaliter remuneretur, sive ad bonum, sive ad malum. Nec propter opera peior, vel melior efficitur homo, nisi forte, dum operatur, in aliquo ejus voluntas augetur*; atqui hæc doctrina videtur eadem prorsus ac nostra: ergo. R. Dato hunc fuisse errorem Abayardi; neque enim S. Bernardus, neque Alphonsus a Castro eum ipsi tribuant, sed solus Gregorius Arimin. N. Min. Non enim nos dicimus, Deum solam voluntatem remunerare, sed etiam opera exteriora, quatenus tamen sunt voluntaria, & participant eandem bonitatem voluntatis, a qua procedunt, non autem quod ei novam, & distinctam addant. Non etiam negamus, hominem propter opera exteriora fieri peiorem, aut meliorem, non tamen simpliciter, & multiplicativè, sed secundum quid & extensivè, quia bonitas interior extenditur ad exterioriorem, in quo perficitur, & consummatur. Insuper, juxta Sylvium, Abayardus sic docuit opera exteriora, etiam ut procedant a voluntate interiori, esse inutilia, ut qui exterioris posset operari, ad id non teneretur; quod est verè erroneum, cum & actus exteriores præcipiantur, nec sit perfecta voluntas, quæ non operatur, dum potest, ut in Responsione præcedenti diximus.

#### ARTICULUS IX.

*Utrum eventus sequens addat ad bonitatem, vel malitiam actus exterioris?*

Dico 1. Eventus sequens prævisus, & aliquo modo intentus, addit ad bonitatem, vel malitiam actus exterioris, si ve per se sequatur, sive per accidens. (*Hic q. 20. a. 5. o.*)

Prob. Eò melior, vel peior est actus, quò melior, vel peior est voluntas; atqui melior, vel peior est voluntas ejus, qui prævidens, & intendens multa bona, vel mala ex opere suo se-

quutura, illud facit, quàm si nihil horum prævideret, & intendet: ergo. (*Ibid.*)

Dices: S. Thom. hic art. cit. ut eventus sequens addat ad bonitatem, vel malitiam, non requirit quòd sit intentus, sed tantum quòd sit præcogitatus: ergo. R. Præcogitatum apud S. Thom. idem valere ac aliquo modo volutum, & intentum. Dupliciter enim cogitare potest accipi, 1. prout importat tantum actum intellectus considerantis sine ullo voluntatis consensu, aut desiderio. 2. prout importat actum intellectus simul cum actu voluntatis consentientis, aut desiderantis, quomodo sumitur Matth. 9. *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris*; & Genes. ultimo, cum dicebat Joseph fratribus: *Vos cogitastis de me malum*. Hoc autem ultimo sensu sumi hic a S. Thom. patet ex q. 73. art. 8. ad 1. ubi, se remittens ad præsentem articulum, dicit: *Sicut supra dictum est, cum de bonitate, vel malitia exteriorum actuum ageretur, eventus sequens, si sit prævisus, & intentus, addit ad bonitatem, vel malitiam*. Ex aliis sequetur varia absurda, inter ea, quòd peccata, quæ Christus prævidet sequutura ex sua prædicatione, eam vitassent.

Dixi: *Aliquo modo intentus*: quia, ut effectus sequens addat ad malitiam, non est necesse, quòd directè intendatur; sed sufficit quòd sit indirectè, & interpretativè intentus. Tunc autem est indirectè, & interpretativè intentus, quòd sic prævidetur sequitur, ut poterit, & debuerit impediri. Tunc autem est obligatio impediendi, & cessandi ab actu, ad quem sequitur, quando non subest jus, seu legitima ratio illum actum ponendi. At, quando adest, vel abest jus, seu legitima ratio non ponendi actum, non obstante malo eventu indè sequuto? Hoc opus, hic labor est, nec potest una regula assignari. Ad id debet attendi, an eventus sequatur ex illo actu per se, vel per accidens, & intervenitu alterius cause: an actus in eum malum eventum influat gravitèr, vel levitèr, remotè, vel proximè. Item conferendum est malum eventus cum bonitate actus: major enim ratio requiritur, ut legitime ponatur actus, ex quo per se sequitur malum, quàm si per accidens, & intervenitu alterius cause sequatur: major, si actus proximè, & gravitèr influat, quàm si levitèr, & remotè: major, si utilitas actus non præponderet, aut saltem non æquivaleret malo eventus. Quibus omnibus attentis, judicandum est moralitèr, utrum sit, vel non sit jus, & legitima ratio ponendi actum. Pro quo consule, quæ circa hæc materiam dixi Dissert. 8. de Restit. art. 13. §. 6. concl. 2. Dissert. 8. de Temperantia art. 12. & aliis locis ibidem citatis: item art. 1. primæ Dissert. hujus Tract.

Cætèrùm pro praxi accipe unum, aut alterum casum, ex quibus alios resolves. Mulier, quæ prævidet ex confessione faciendâ suo Parochò ejus lapsum futurum, potest illi confiteri, si non possit commode alteri, quia utitur jure suo, & lapsus sequens non per se sequitur ex ejus confessione, sed per accidens, & interveniente altera causa, scilicet malitia, aut fragilitate Confessarii. Si autem possit commode alteri confiteri, illicitè conitetur Parochò, quia, licet videatur habere jus illi confitendi, jus tamen non est cum præjudicio charitatis. Sic, qui habet superfluum, si indigent non eroget, non excusatur per hoc, quòd utatur re sua, & jure suo, quia jus proprium non contradicit charitati, quæ jubet superflua erogare indigentibus: sicut ergo iste tenetur ex charitate dare indigenti id, quò ipse non indiget; ita mulier in casu tenetur ex charitate erogare, seu dimittere illam actionem, qua non indiget, per modum elemosinæ, ne sequatur malum proximo; quia, licet habeat jus ad illam, hoc tamen est sine præjudicio charitatis: quòd si non faciat, malum sequens est ipsi virtualitèr, & interpretativè voluntarium, ac moralitèr imputabile, eò quòd non indiget actione, ex qua videt sequi malum, dum illam vult, censetur velle malum, quia potius tenetur velle bonum proximi, quàm actionem, qua modò non indiget: sicut, qui non dat indigenti id, quò ipse non indiget, censetur velle malum indigentis. Undè illud Ambrosii, *Si non pavisti, occidisti*; quòd intelligitur de occisione, non contra justitiam, sed contra charitatem. Idem dic de muliere pulchra, aut decenter ornata, quæ non tenetur se perpetuò continere domi, ne ejus aspectu peccent aspicientes, sed potest uti jure, quòd habet exeundi, sive ad templum, sive ad alias causas utiles, aut honestas: si tamen occurrat casus particularis, in quo nullatenus indiget exire, & prævidet indè aliquem lapsurum, tenetur ex charitate dimittere hanc particularem egressionem, sibi tunc omninò inutilem. Ex his aliis similes casus resolve, & consule, quæ locis citatis dixi in diversis materiis.

Dico 2. (*Ibid.*) Eventus, per se sequens ad actum, etiam si non sit prævisus, nec in se volutus, addit ad bonitatem, vel malitiam; quia, quod per se sequitur ad actum, quodam modo ad ejus speciem pertinet, & idè est virtualitèr, & implicite volutum in ipso actu. Insuper ille actus est melior, ex cujus natura nata sunt sequi plura bona, & ille peior est, ex cujus natura nata sunt sequi plura mala. Eventus autem per se sequi

censetur ex actu, quando semper aut ut plurimum accidit. Hinc scandalum ex publica fornicatione secutum auget ejus malitiam, quævis fornicator de eo non cogitaverit, quia per se sequitur ex tali actu.

Intellige tamen hæc Conclusionem cum hac modificatione, quòd ex eodem actu non sequatur per se æquè immediate duplex effectus, unus bonus, alter malus; juxta aliud principium S. Doctòris 2. 2. q. 64. art. 7. velle; quòd, quando unus actus sunt duo effectus æquè immediati, unus possit esse ex intentione, alter præter intentionem nec imputabilis, ut patet in defensione sui contra injustum invasorem, ex qua æquè immediate sequitur salus invasi, & mors invasoris. De quo vide, quæ dixi Dissert. 10. de Jure & Justitiâ art. 5. §. 1. versus finem.

Dices contra hæc 2. Conclusionem. Si eventus per se sequens ex actu addat ad malitiam, sequitur, quòd qui inducit mulierem ad fornicandum, graviter peccet, quàm qui facit homicidium. Falsum Consequens: ergo & Ant. Prob. sequela. Mors spiritualis mulieris sequitur per se ex illa inductione, & est gravius nocendum, quàm mors corporalis: ergo. R. N. sequelam. Ad Probat. N. Ant. Non enim mors spiritualis mulieris, seu ejus peccatum, sequitur per se ex inductione fornicatoris, sed ex libero consensu hujus mulieris, alliciente quidè &

suadente fornicatore; mors autem corporalis sequitur per se, nulla alia causa interveniente, ex actione homicidæ.

Inst. Mors spiritualis mulieris non minus sequitur ex inductione sollicitantis, quàm sequatur ex fornicatione publica mors spiritualis eorum; qui ex ea scandalizantur; quæ uti hæc sequitur per se ex fornicatione publica: ergo. Prob. Min. Scandalum per se oritur ex fornicatione publica, & idè diximus, quòd addat ad malitiam: ergo etiam mors spiritualis, seu peccatum scandalizatorum. R. N. Min. Ad Probat. N. Conseq. Quia aliud est scandalum, aliud peccatum, cui præbet occasionem. Scandalum enim est dictum, vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinae spiritualis, seu peccati, unde fornicatio publica est per se scandalosa; sed peccatum scandalizatorum, cui occasionem præbet, non minus sequitur per se ex libera eorum voluntate, quam in muliere secreto inducta.

Dico 3. (*Ibid.*) Eventus sequens per accidens ex actu, si non sit aliquo modo intentus, non addit ad bonitatem, vel malitiam. 1. Quia non datur judicium de re aliqua secundum id quòd est per accidens. 2. Quia hujusmodi eventus nullo modo est voluntarius. Exemplum habes superius de muliere, quæ ex justa causa procedit in publicum, ex quo prævidet sequutura lapsus alicujus.

### DISSERTATIO V.

#### DE CONSCIENTIA.

##### ARTICULUS I.

*Quid, & quomplex sit Conscientia?*

Esse Conscientiam, nihil notius, omnes enim Docti & in docti conscientiam clamant. Quid sit autem Conscientia, non ita notum. Quidam dicunt pertinere ad voluntatem, alii ad intellectum. Quidam volunt esse habitum, vel potentiam, alii actum.

Dico 1. juxta Actorem 1. (*1. p. q. 79. art. 13. o. hic q. 19. art. 5. b. & q. 17. de verit. art. 1. o.*) Conscientia nihil aliud est, quàm applicatio scientiæ, seu notitiæ ad aliquod particulare factum; ex cujus principis locis citatis sic definitur potest: *Judicium, seu dictamen intellectus practici, ex principis communibus dicitur aliquid in particulari hic & nunc esse fugiendum, vel malum, vel faciendum, vel bonum*. Sed, ut committere dicitur, *dicitur de bonitate, vel malitia eorum, quæ hic & nunc a nobis sunt agenda*. Est itaque Conscientia conclusio Syllogismi practici. Sic v. gr. Synderesis dicit: *malum est fugiendum*, ratio subsumit: *atque adulterium est malum*. Conscientia autem concludit in particulari: *Ergo mihi hic & nunc fugiendum est adulterium*. Expliciter definitio: *Dicitur judicium, seu dictamen*; quia Conscientia non est potentia, vel habitus, sed actus. Patet 1. ex ipso nomine. Dicitur enim Conscientia quasi cum alio scientia, eò quòd sit applicatio, seu conjunctio actualis scientiæ, vel notitiæ cum actione particulari, applicatio autem est actus. 2. Quia potentia non potest deponi, & habitus est difficile mobilis, Conscientia potest deponi & facile mutari. Insuper non est habitus naturalis, ut Synderesis; hic enim non potest deponi: neque infusus, quia datur Conscientia pro moralibus non supernaturalibus; neque acquisitus, quia actus, quibus acquiritur, supponerent Conscientiam; alioquin non forent boni, nec habitum bonum generare possent.

Dicitur *judicium, seu dictamen intellectus*, quia Conscientia pertinet ad intellectum, & non ad voluntatem. Patet 1. ex ipsa nominis etymologia. Conscientia enim est cum alio scientia. 2. Nemo operatur moralitèr nisi ductus & directus per judicium & dictamen intellectus, seu rationis. Hoc autem dictamen, seu judicium circa factum particulare, & circumstantiatum, dicitur Conscientia. 3. Judicare, testificare, accusare, excusare, quæ tribuunt Conscientiæ, sunt actus intellectus: ergo.

Dicitur *judicium intellectus practici*. Intellectus enim versatur circa veritates merè speculativas, ut Deus est trinus, omnes Angeli specie distinguuntur; aut etiam circa veritates de substantia, valore, qualitate rerum, aut factorum, & non de honestate, vel malitia, licitate vel illicitate actionum humanarum, v. gr. an Sacramentum sic collatum sit validum: an contractus sic initus sit validus: an sint latrones in via: an fera, vel homio sit in sylva, &c. & utroque modo dicitur intellectus simpliciter speculativus: vel versatur circa principia generalia, aut conclusiones generales de bonitate, vel malitia actionum humanarum, aut facti per Synderesim & scientiam moralem; & tunc dicitur speculativo-practicus: vel versatur circa conclusiones particula-

*Theol. Billuati. Pars Secunda.*

res de bonitate, vel malitia hujus actus hic & nunc ponendi, aut fugiendi, sicut facit per Conscientiam, & tunc dicitur practico-practicus. Dicitur *judicium*, non imperium, quòd exprimitur verbis modi imperativi, *fac hæc*; quia hujusmodi imperium supponit Conscientiam, estque illi non raro difforme, ut cum Conscientia dicitur aliquid esse fugiendum ut malum, & homo imperante ratione & remordente Conscientia facit.

Dicitur: *Dicitur, aliquid in particulari esse faciendum, vel fugiendum*; quia, licet Conscientia sit etiam de præteritis testificando, approbando, improbando; remordendo, de qua Apost. 2. Cor. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*; & Isai. 66. de Conscientia damnatorum, *Veritas eorum non moritur*. Et idè Conscientia in tota sua latitudine definiti debuisset, *dicitur aliquid esse, fore, vel fuisse faciendum, aut fugiendum*; quia tamen hic agimus de Conscientia, prout est regula agendorum, idè sub limitatione positiva definitivus. (*1. p. & q. de verit. cit.*)

Dices contra primas particulas 1. Conscientia permanet in nobis non agentibus, imò & dormientibus: ergo non est actus, sed habitus. 2. Conscientia dicitur habere actus, scilicet testificari, accusare, reprehendere, &c. actus autem non habent alios actus. 3. Si Conscientia sit actualis judicium, nunquam possumus agere contra Conscientiam; quia non possumus agere contra actuale judicium, nisi per aliud judicium, quò primum expellatur. 4. Omnis actus generat habitum, vel ex habitu procedit: ergo oportet ponere habitum Conscientiæ, vel a quo actus Conscientiæ procedet, vel quem generet. R. ad 1. Conscientia dicitur permanere in nobis non agentibus. 1. Quia remanet in suis causis, qui sunt habitus, & præsertim in Synderesi. 2. Quia remanet virtualitèr, quàmvis non deponitur, sicut intentio, seu affectus bonus, vel malus dicitur manere virtualitèr indeterminatione relicta, quàmvis non retractatur.

Ad 2. Hic actus recensiti dicuntur actus Conscientiæ, non quasi eliciantur ab ipsa tanquam a potentia vel habitu, neque quòd sint plures actus; sed est unus actus, ipsa scilicet Conscientia, qui ratione diversarum connotationum ad diversas materias habet diversa officia, & dicitur modò testificari, modò accusare, modò excusare, &c. sicut idem actus voluntatis amat finem ut obiectum, & movet ad electionem mediatorum; idem actus intellectus intelligit obiectum, & movet voluntatem.

Ad 3. Agimus contra Conscientiam 1. Quatenus illam expellimus per judicium contrarium. 2. Quia remanet in suis principis generalibus, quæ sunt in Synderesi, ratione quorum obmurmurat & reprehendit Conscientiam malam.

Ad 4. (*1. cit. de verit. ad 4.*) Actus Conscientiæ procedit ab habitu sapientiæ & scientiæ; unde non generatur alicujus habitus alius ab eis, sed illi habitus perficiuntur. Quapropter dicendum, quòd actus scientiæ & conscientiæ non sint duo actus ex æquo distincti, sed sicut includens & inclusum: Conscientia namque est scientia cum quodam modo, scilicet cum applicatione ad opus; sicut dicere est intelligere cum quodam modo, scilicet cum productione verbi.

Dices contra secundas particulas. Conscientia dicitur bona, vel mala, & iniquata; atqui bonum & malum pertinent ad voluntatem, & non ad intellectum: 2. Non dicitur aliquis bonae conscientiae, quia pollet scientia, sed quia est bonae voluntatis. 3. Conscientia ex dictis est applicatio scientiae ad aliquid agendum; atqui applicatio, cum sit usus activus, est actus voluntatis secundum D. Thom. hic q. 16: ergo Conscientia pertinet ad voluntatem, & non ad intellectum. R. Ad 1. *Ibid. ad 2.* Conscientia dicitur bona, vel mala, & iniquata, non formaliter & subjective, quasi ipsa sit subjectum bonitatis vel malitiae, sed duplici alio sensu. 1. Directivè eo modo, quo intellectus practicus dicitur bonus, vel malus, quia dirigit bona, vel mala opera, & sic Conscientia dicitur bona vel mala ab effectu. 2. Per analogiam ad bonitatem vel malitiam voluntatis; quae est in Conscientia sicut cognitum in cognitione; in quantum enim quis scit se esse bonum vel malum, dicitur habere Conscientiam bonam vel malam; licet non solum tunc, cum quis possit esse malus, qui suae malitiae non est conscientus. Ad 2. Dicitur aliquis bonae Conscientiae, non praecise quia pollet scientia, sed quia scit se esse bonae voluntatis, & ejus iudicium est in bonum ordinatum; quae scientia & quod iudicium sunt actus intellectus. Ad 3. Applicatio scientiae ad aliquid agendum, in qua reponimus Conscientiam, non est actus seu usus activus voluntatis, sed est ipsa formatio iudicii in particulari de agendis ex primis, & communibus principiis practicis. Haec enim formatio dicitur applicatio scientiae, seu principiorum ad opus; sicut in scientiis speculativis formatio Conclusionis ex praemissis dicitur applicatio principiorum ad Conclusionem.

Ex dictis colliges, 1. Quomodo Conscientia differat ab aliis principiis moralibus & practicis. Et 1. differt a Synderesi; quia Synderesis est habitus primorum & generalium principiorum practicorum; cujus actus est dicere in genere bonum esse faciendum, malum faciendum; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, & similia. Nullum admittit vel errorem, vel ignorantiam, vel dubium, aut oblivionem, quia est ingenita & de principiis per se notis. Conscientia vero est actus dicens in particulari, hoc bonum est faciendum, hoc malum est fugiendum; admittit errorem, ignorantiam, & dubium, quia ratione errare potest male applicare principia communia ad casus particulares. Hinc Synderesis est regula morum infallibilis, sed remota, quia Legem tantum generaliter & in communi proponit: Conscientia autem est regula fallibilis, sed proxima, quatenus explicat & applicat Legem ad actus particulares. 2. Conscientia differt à scientia moralis, quia, ut jam notavi, scientia Conclusiones generales infert, Conscientia particulares. 3. Differt a prudentia; quia prudentia, utpotè virtus, est habitus, & est semper de veris practicis & bonis; Conscientia autem est actus, & potest esse de falsis practicis. Conscientia tamen recta coincidit cum actu prudentiae, qui dicitur iudicium; sunt enim tres actus prudentiae, scilicet consultare, iudicare, & imperare.

Colliges 2. *(Q. 17. de verit. art. 3. o. ad 1. & 3. & art. 4. ad 2.)* Quo sensu Conscientia est regula proxima actionum humanarum. Non enim est regula & ratio sui, quasi istud dictamen, seu iudicium rationis practicum, quod dicimus conscientiam, sit per se obligans; sed quia proponit & applicat regulam & legem in particulari. Sicut, si praecipit Imperatoris nunquam ad cives preveniret, nisi mediante Proconsule, & Proconsul non praeciperet nisi mediante Proconsule, & Proconsul non praeciperet nisi recitando praecipitum Imperatoris, Praecipitum Proconsulis foret regula Civium, non ratione sui, sed ratione praecipitum Imperatoris, quod promulgaret & applicaret. Sic Conscientia respectu actionum nostrarum nihil est aliud, quam intimatio, seu quasi promulgatio & applicatio regulae & Legis divinae ad hic & nunc operandum, seu, ut ait Auctor, nihil est aliud, quam pervenitio Legis divinae ad eum, qui Conscientiam habet.

Dico: Conscientia dividitur 1. communiter in veram & falsam seu erroneam; in certam & probabilem, seu opinativam, & dubiam; in scrupulosam & laxam: quia totidem modis ratio iudicat ex principiis communibus de licitate, vel illicitate actionis particularis, ut patet ex enumeratione & explicatione singularum. Conscientia vera est, quae ex principiis veris dicit aliquid in particulari esse licitum, vel illicitum, quod est revera tale. Conscientia falsa, seu erronea est, quae ex principiis falsis, reputatis tamen veris, dicit aliquid esse licitum, vel illicitum, quod non est revera tale. Et est duplex, vincibiliter & invincibiliter erronea, sicut ipsa ignorantia. Conscientia certa est, quae formaliter & in se ac in omnibus principiis, ex quibus immediate formatur, est talis, ut excludat omnem formidinem rationabilem de opposito. Conscientia probabilis, seu opinativa est, quae ex principiis tantum probabilibus dicit aliquid esse licitum, vel illicitum cum formidine partis oppositae. Conscientia dubia est suspensio intel-

lecta neutri parti contradictionis assentientis; sive propter rationes contrarias aequè probabiles, & dicitur dubia positive; sive quia nullas habet rationes pro aut contra, & dicitur dubia negative: melius diceretur nesciens, aut ignorans: quarenti enim, an arenae maris sint pares? melius responderem nescio, quam dubito: quia ulterius quarenti, cur dubitem? Nihil haberem, quod responderem. Conscientia utroque modo dubia non videtur Conscientia proprie, & strictè dicta, quia non est iudicium definitum, quale debet esse Conscientia scrupulosa est, quae ex subtilibus, & propterea contemnendis rationibus iudicat, aut timet, ne mala sit actio. Dico, iudicat aut timet; quia, si revera ex his levibus, & inanibus rationibus iudicet esse actionem malam, est verè Conscientia; si autem tantum timet, ne sit mala contra iudicium, quod habet de ejus bonitate, non est proprie Conscientia, sed potius umbra, vel similitudo Conscientiae. Prima dicitur ex scrupulis formata. Secunda scrupulis agitata. Contra primam non est licitum agere, bene contra secundam, ut dicam infra. Conscientia lata, seu laxa est, quae ex levibus admodum, & contemnendis momentis iudicat non esse malum, quod revera est malum, aut leve malum, quod est grave, cum utrumque possit facile deprehendi. Hinc accedit Pharisaeica, quae magna parvi, & parva magni facit, excolens calicem, & laxa, in hoc, ut patet, differunt a probabili, quòd probabilis nititur gravibus momentis, non ista; unde pertinet ad erroneam.

2. Dividit Conscientia in obligantem, consulentem, & permittentem. Prima dicitur, aliquid de praecipio faciendum, vel fugiendum. Secunda dicitur, aliquid esse melius, & de consilio tantum omittendum, aut faciendum, ut non nubere. Tertia dicitur, aliquid neque prohiberi, neque praecipii, sed permitti.

3. Dividit potest Conscientia in bonam, & malam. Si agatur de praeteritis, aut futuris, dicitur quis bonae Conscientiae, qui sibi est conscientus recte factorum, aut est habituajter dispositus ad recte agendum; mala e contra. Si de praesentibus agatur, dicitur bona Conscientia, quae actualiter hominem in bonum dirigit, & a malo revocat; mala e contra, quae ex ignorantia vincibilis, vel ex malitia malum sub ratione boni prosequendum proponit, & dicitur: & si ita sit obfirmata in malo, ut vulnus suum non sentiat, dicitur caeterata.

Circa species Conscientiae assignatas in prima divisione plura sunt scitu necessaria, sequentibus articulis exponenda. Sed antea

Observanda circa Conscientiam.

Observandum 1. Conscientiam a Theologis divi veram, falsam, certam, dubiam, probabilem, &c. duplici sensu. 1. Intrinsicè & formaliter, ratione dictaminis ultimi veri, falsi, certi, dubii, probabilis, &c. Quod ultimum dictamen est proprie Conscientia, ut dictum est. 2. Extrinsicè & praesuppositivè ratione dictaminis speculativo practici veri, falsi, certi, dubii, probabilis, &c. ex quo remotè deducitur dictamen ultimum practice practicum, seu Conscientia proprie dicta. Sic v. gr. qui praevio sufficienti examine iudicat probabilibus alicui contractum esse licitum, & ex hoc iudicio speculativo practico sic reflexè discurrit: qui facit, quod probabilibus iudicat esse licitum: non peccat; atqui iudico probabilibus hunc contractum esse licitum: ergo non pecco illum ineundo. Conscientia, quae sita est in hoc ultimo dictamine, dicitur certa formaliter & intrinsicè. Dicitur autem probabiliter extrinsicè & praesuppositivè, ratione prioris dictaminis speculativo-practici, quod supponit, & ex quo remotè formatur, & ideo talis Conscientia dicitur speculativè probabilior & practice certa. Quod si defectu iudicii speculativo-practici, aut principiorum reflexorum, iudicium ultimum remaneat tantum probabile, probabilis, aut dubium, erit Conscientia formaliter & intrinsicè probabilis, probabilior, & dubia, nec poterit esse regula morum, ut dicemus infra.

Judicium, aut dubium speculativo-practicum versatur circa honestatem, aut malitiam objectivam & materialem actus: iudicium practice practicum versatur circa honestatem formalem & subjectivam actus. Honestas, aut malitia objectiva & materialis petitur ab objecto secundum se; formalis & subjectiva ab objecto, prout subest dictamini Conscientiae. Prior respicit naturam objecti praecise; posterior respicit objectum & operantem, sive objectum ut hic & nunc ponendum & circumstantiatum. Prior, si sit sola, facit actum bonum, vel malum materialiter tantum, nec imputabiliter ad meritum vel demeritum. Secunda facit actum bonum vel malum formaliter & imputabiliter ad meritum vel demeritum. Hinc sequitur, quòd, quotiescumque homo extra exercitium actuale actionis iudicat, dubitat, aut opinatur aliquid esse licitum vel illicitum,

ARTICULUS II.

An, & quomodo teneamur conformari Conscientiae erranti?

Duplici modo possumus conformari conscientiae; negative, non agendo contra illam; positive, agendo secundum illam. Questionem proponit S. Thom. hic q. 19. art. 5. sub his terminis: *Utrum voluntas discordans a ratione errante sit mala*: & initio corporis dicit, idem esse, ac querere, utrum Conscientia errans obliget. Et q. 17. de verit. art. 4. & in 2. d. 39. art. 3. similiter quaerit, utrum Conscientia erronea liget vel obliget; pro eodem sumens ligare & obligare. Quod adverto contra Durandum & quosdam alios, qui distinguunt inter ligare & obligare, dicuntque Conscientiam erroneam ligare, ne contra eam agamus; non autem obligare, ut secundum eam agamus: hoc est, nos teneri conformari negative conscientiae erranti, non positive.

Suppono (*Q. cit. de verit. art. 2. o. & in 2. cit. q. 2. art. 2. o.*) Conscientiam posse errare; quia, ut dictum est, Conscientia est conclusio Syllogismi practici. Unde, sicut in speculabilibus potest esse conclusio falsa, sive quia deducitur ex principiis falsis, sive quia contra formam Syllogisticam male infertur ex principiis veris, ita in practicis; quia, licet Synderesis errare non possit circa sua principia generalia per se nota, ratio tamen potest errare circa principia propria & particularia, quae adhibet ad inferendam conclusionem practicam. Sic, si quis dicat ex Synderesi, nihil est faciendum contra Dei praecipitum, & ratio subsumat; atqui Deus prohibet jurare in omni eventu: ergo non est hic & nunc licitum jurare, etiamsi praecipiente legitimo Superiore; haec conclusio, quae est ipsa Conscientia, est falsa ex falsitate minoris. Vel si dicat Synderesis: obediendum est semper Deo praecipienti, & ratio subsumat: atqui Deus praecipit succurrere proximo periclitanti: ergo teneor hic & nunc mentiri ad salvandum vitam proximi; haec conclusio, seu conscientia est falsa defectu formae Syllogisticae; quia *tu praecipitum in minoris*, quod est medium, non sufficienter distribuitur, seu explicatur. Notandum tamen, quòd, si error foret invincibilis, conscientia esset quidem speculativè falsa, sed practice vera & recta; quia, ut dixi in calce praecedentis articuli, tunc esse conformis appetitui recto debiti finis, ut patet in conscientia Jacob accedentis ad Liam, quam erroneè, sed invincibiliter, credebat esse suam. Quaestio est igitur, utrum semper & in omnibus teneamur conformari tam negativè, quam positive conscientiae erranti? seu utrum nunquam liceat agere contra illam, & semper teneamur agere secundum illam.

Dico 1. Nunquam licet agere contra conscientiam tam prohibentem, quam praecipientem, sive veram sive erroneam, etiamsi vincibiliter erraret; ita ut, si conscientia diceret aliquid esse prohibendum, non possit illud poni, & sic diceret aliquid esse praecipitum, non possit illud omitti. Est communis cum Auctore. (*Hic q. 19. art. 5. o. & loc. supr. cit.*)

Prob. 1. ex Apost. Rom. 14. *Qui discernit, si manducaverit, damnatus est: quis non ex fide. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.* Per fidem intelligit Apostolus, non fidem supernaturalem; palam est enim, quòd, qui non manducaret ex fide supernaturali, non ideo damnaretur ut peccaret, sed credulitatem, persuasionem, seu Conscientiam. Ita intelligunt Chrysost. Ambros. Theophylact. Theodoret. & communiter Patres & Interpretes: idque patet ex ipso contextu. Loquitur enim ibi Apostolus de esu ciborum, qui per se mali non erant, sed quos quidam malos & immundos, utpotè Lege Mosalica prohibitos existimabant; & dicit, si quis discernat inter cibos, & quos reputat immundos manducet, peccat, quia non agit ex fide, seu ex Conscientia: unde praemiserat, *nihil commune per ipsum*, id est, nihil ex se est immundum, nisi ei, qui existimat quid commune esse, illi commune est. Et quamvis Aug. 1. 4. contr. Julian. c. 3. intelligat Apostolum de fide supernaturali, priorem tamen sensum non negat. Confirmatur ex eodem Apost. Galat. 5. *Tustificor*, inquit, *omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universae Legis faciendae.* Quibus verbis significat, quòd, qui se circumcidit, credens se adhuc ad Legis observationem adstringi, tenetur ex Conscientia, licet errante, observare totam Legem.

Prob. 2. ex Jure c. 13. de rest. spoliat. *Quidquid sit contra Conscientiam, aedificat ad gehennam.* Prob. 3. ratione multiplici (*Ibid.*) 1. Conscientia est proxima & immediata regula actuum humanorum, eo sensu quo diximus art. praeced. quatenus scilicet intimat, seu applicat Legem hic & nunc praecipientem aut prohibentem, sive quatenus vi & nomine Legis prohibet aut praecipit hunc actum, quamvis forte Lex non prohibeat, aut praecipiat: ergo agere contra Conscientiam

est agere contra Legem actu obligantem, saltem existimatam talem, quod fieri non potest absque contemptu Legis.

Confirmatur 1. (*Ibid.*) Si praeceptum Regis non perveniret ad Populum, nisi mediante Proconsule, & Proconsul diceret, hoc est praeceptum a Rege, quamvis non esset verum, dictum eius obligaret, & qui illud contemneret quandiu erroris non esset conscius, contemneret Regem; atqui per solam Conscientiam ad nos pervenit notitia legis actu obligantis quoad actus particulares, & dicitur, hoc est praeceptum, & Lex Dei, seu Superioris: ergo, qui contemnit Conscientiam agendo contra illam, contemnit legem. Confirmatur 2. In omnibus artefactis illud est inordinatum, quod non est proxima suae Regulae conforme: ergo. 2. (*Hic & in 2. cit.*) Bonitas, vel malitia voluntatis sumitur ex objecto, non secundum suam naturam considerato, sed prout proponitur a ratione, seu Conscientia; est enim voluntas potentia caeca sequens ductum rationis, nihilque appetens nisi a ratione propositum & cognitum, & eo modo quo est propositum: ergo, si ratio, seu Conscientia proponat, licet errant, objectum malum & prohibendum, & voluntas illud amplectatur, erit mala: similiter, si ratio proponat objectum bonum & praeceptum, & illud refugiat, voluntas erit iterum mala. Confirmatur: Ex hoc quod voluntas sit potentia caeca, non potest per se percipere obligationem legis, sed obligatur mediante dictamine rationis: ergo, si agat contra istud dictamen, inordinate agit, sicut si caecus reluctaretur suo ductori. 3. Ille peccat, qui vult peccatum, & ei afficitur; atqui, qui agit contra Conscientiam etiam errantem, vult peccatum: ergo. Prob. Min. Ille vult peccatum, qui facit id, quod iudicat peccatum; atqui, qui agit contra Conscientiam, facit quod iudicat peccatum: ergo. (*Quilib. 3. art. 26. o.*)

Dico 2. Non solum tenemur non agere contra Conscientiam invincibiliter erroneam, sed tenemur absolute agere secundum illam, dum dicitur aliquid esse de praecepto faciendum. (*Hic q. 19. art. 6. o.*) Prob. 1. Quia ommissio actus, quem Conscientia invincibiliter erronea dicitur esse de praecepto faciendum, non est ex fide magis, quam positio actus, quem dicitur esse prohibendum. 2. Quia, quamvis Conscientia invincibiliter erronea sit speculative falsa, est tamen practice vera & recta, quia dicitur conformiter ad rectum appetitum, ut dixi supra. 3. Quia operantem secundum illam excusat a peccato formalis ignorantia invincibilis. 4. Quia, cum voluntas sit caeca, non potest agere sine dictamine rationis, quod est Conscientia, alius fortuito ageret & exponeretur continuis lapsibus; sicut si esset caecus sine ductore: atqui alia in casu non potest haberi, cum sit invincibilis. 5. Tandem, quia non agere secundum Conscientiam invincibiliter erroneam aliquid praeceptum est agere contra illam. Sic v. gr. si Conscientia tibi dicitur invincibiliter esse mentendum ad salvandam vitam proximi, si non agas secundum illam mentiendo, hoc ipso agis contra illam; atqui ex praeced. Conclusionem constat non esse licitum agere contra Conscientiam invincibiliter errantem: ergo.

Dico 3. Tenemur etiam agere secundum Conscientiam vincibiliter errantem, praeceptum aliquid faciendum, non absolute, sed conditionate, in hypothesis quod non deponatur, prout potest & debet deponi. Est Joannis a S. Thom. Serra, & plurimum aliorum contra Sylvium, & plures alios. Probatur: Non est licitum agere contra Conscientiam invincibiliter errantem, ut multis probavimus Conclusionem 1. Atqui non agere secundum Conscientiam vincibiliter errantem, aliquid faciendum praeceptum est agere contra illam, idque aliter nec possibile, nec intelligibile est; sic v. gr. si Conscientia tibi dicitur vincibiliter esse mentendum ad salvandam vitam proximi, non agere secundum illam, est non mentiri, & non mentiri, est agere contra illam, cum tibi praeceptum mentiri: ergo.

Dicant Adversarii: Potest & tenetur deponere istam Conscientiam: ergo non tenetur agere secundum illam. Equidem potest & tenetur deponere; sed si non deponatur? Quid est illi agendum? In hac enim tantum suppositione currit nostra Conclusio: & dicimus, quod tenetur illam sequi, quia non potest contra illam agere; ageret autem contra illam, si non sequeretur: ergo obligabitur ad peccandum, quia peccat sequendo illam: Ita est, obligabitur ad peccandum non absolute, sed ex suppositione sibi voluntaria; & hoc non est inconveniens, ut ostendam in sol. Obj.

#### Solvuntur objectiones.

Obj. 1. contra 1. Conclusionem. S. Thom. hic q. 19. art. 4. o. dicit: *Ubi deficit humana ratio, oportet recurrere ad rationem aeternam*: ergo errante Conscientia debet voluntas immediate regulari a lege aeterna. R. N. Conseq. Quia, cum lex

aeterna non possit regulari actus nostros, nisi quatenus cognita & applicata per rationem humanam, repugnat, quod sit immediata regula nostrorum. Sensus ergo S. Thom. est, quod, ubi ratio humana advertit se non posse discernere, an aliquid in particulari sit bonum aut malum, debet consulere rationem divinam per Scripturam & Traditionem, ut si fieri possit, certo cognoscatur veritas: non enim, ut dixi supra, ratio humana est ex vi sua regula actuum nostrorum, sed vi legis aeternae, cujus est vicaria & praeco, & ex qua lege aeterna oritur primordialiter omnis bonitas actionum humanarum.

Obj. 2. contra eandem. Non potest assignari Lex, vi cuius obligat Conscientia erronea; non divina, quia, ut supponitur, Lex divina jubet contrarium; non humana, nulla enim extat. R. Conscientiam erroneam obligare. 1. vi Legis divinae naturalis; quia Lex divina naturalis generaliter vetat agere contra id, quod est, aut existimatur esse a Deo praeceptum, vel prohibendum, ut patet ex probatibus Conclusionis 3. Vi virtutum particularium; si enim Conscientia erronea diceret aliquid esse faciendum, vel omittendum ex Justitia, vel Religione, ad id faciendum, vel omittendum obligat Justitia vel Religio, & peccabit contra Justitiam, vel Religionem, qui contra fecerit, ut dicam infra.

Inst. 1. Conscientia errans non intimat, nec applicat Legem aeternam, sed contra: ergo vi illius non obligat. R. D. Ant. Non intimat, & tamen iudicatur & proponitur ut intimans, C. Secus. M.

Inst. 2. Iudicium istud Conscientiae errantis non derivatur a Lege divina naturali: ergo vi illius non obligat. R. D. Ant. Non derivatur a Lege divina naturali, & tamen creditur derivari, C. & non creditur derivari, N. (*Hic q. 19. art. 3. ad 1.*) Quamvis ergo iudicium rationis errantis non derivatur a Deo; tamen ratio errans iudicium suum proponit ut verum, & per consequens ut a Deo derivatum, a quo est omnis veritas. Hoc ipso autem quo creditur a Deo derivatum, Lex divina vetat, ne contra illud agamus, ut probavimus.

Inferes: ergo potest quis peccare amando Deum super omnia. Prob. illatio. Potest quis erronee credere esse peccatum amare Deum super omnia; atqui tunc amando Deum super omnia, agit contra Conscientiam: ergo peccabit. R. N. Illationem. Ad probat. dico, hunc casum implicare ex duplici capite. 1. Implicat, quod quis iudicet amare Deum super omnia esse peccatum; quia iudicando esse peccatum, iudicat esse contra Deum; implicat autem, quod quis iudicet, quod amor alieuius sit contra ipsum, cum sit inclinatio ad ipsum. 2. Implicat, quod quis amet Deum super omnia violando eius praeceptum, vel verum, vel reputatum tale, quia amor Dei super omnia includit voluntatem servandi omnia eius praecepta. Unde ille in casu amaret Deum super omnia, ut supponit argumentum, & non amaret, quia violaret eius praeceptum, aut saltem, quod existimat esse eius praeceptum de non amando Deo.

Inferes iterum: ergo saltem sequitur ex Conclusionem nostra, quod subditus, reputans erronee praeceptum superioris esse aperte de re illicita, non possit, nec debeat illi obedire. R. Si Conscientia huius subditi sit erronea vincibiliter, debet eam deponere & obedire: si sit erronea invincibiliter, plerumque fit vincibilis ex mandato superveniente Superioris prohi & prudentis; id enim sufficit subdito, ut saltem dubitet de veritate sui iudicii, inquirat, & consulat, deponatque Conscientiam, iudicando id, quod sibi praecipitur, non esse certo & aperte contra Deum, quod sufficit, ut possit & teneatur obedire, ut dicemus modo. Quod si ejus Conscientia remaneat invincibilis, tunc debet ejus ductum sequi & non obedire; quia tunc currit illud Scripturae: *Oportet magis obedire Deo, quam hominibus.* (*In 2. d. 30. q. 3. art. 3. ad 3.*) Non enim Conscientia obligat virtute sua, sed virtute praecepti divini, nec dicitur aliquid faciendum, vel omittendum, quia sibi videtur, sed quia a Deo praeceptum est, vel prohibendum.

Inst. 3. Praeceptum inferioris non obligat contra praeceptum superioris; atqui Conscientia est inferior, Deus est superior: ergo Conscientia, proponens errantem aliquid contra Dei praeceptum, non obligat. R. D. Maj. Praeceptum inferioris non obligat, &c. quando compositur esse contra praeceptum superioris, C. Maj. Si crederetur esse ipsum praeceptum superioris, N. Maj. Si enim aliquis crederet, quod praeceptum Proconsulis esse praeceptum Regis, contemnendo praeceptum Proconsulis, contemneret praeceptum Regis (*Ibid. ad 2.*)

Obj. 3. contra eandem. Ut actus sit bonus, sufficit, quod sit conformis Legi aeternae: ergo, quantumvis sit contra Conscientiam errantem, erit bonus. R. D. Ant. Ut sit bonus materialiter, C. ut sit bonus formaliter, N. Requiritur enim in-

super, quod sit conformis dictamini rationis; quia Lex aeterna non est regula actionum nostrorum, nisi ut intimata & applicata per rationem, a qua habent proximè bonitatem formalem.

Inst. 1. Ut actus sit malus, sufficit quod sit difformis Legi aeternae, licet credatur vincibiliter conformis, ut docet D. Thom. hic art. 3. o. ergo, ut sit bonus, sufficit quod sit conformis Legi aeternae, licet proponatur & credatur, saltem vincibiliter, difformis. R. N. Conseq. ex ipso S. Thom. (*Ibid. art. 6. o.*) Disparitas est, quod malum sit ex quovis defectu, bonum ex integra causa. Unde, ut actus sit bonus, non sufficit ut objectum proponatur ut bonum, sed insuper requiritur, quod non proponatur ut bonum nisi post sufficientem examen de ejus bonitate.

Inst. 2. Conscientia, prohibens aliquid actum bonum, puta iuramentum juridicum, quia quidem illud peccaminosum, id iudicatur erronee: non peccat is, qui illud facit, alias Conscientia non judicasset falsum, sed verum. R. N. Conseq. Ad Probat. N. Sequelam. Ex hoc enim quod quis peccet agendo contra dictamen erroneum, non sequitur quod istud dictamen non sit erroneum, sed quod non apprehendatur ut erroneum; quia, ut quis non peccet, non sufficit quod faciat id, quod est de se bonum, sed requiritur insuper; quod non iudicet illud esse malum & prohibendum, propter rationes Conclusionis.

Obj. 4. contra 2. Conclusionem. S. Aug. libr. de utilitate credendi c. 12. dicit: actus bonus debet esse ex ratione recta; atqui Conscientia erronea, etiam invincibiliter, non est recta: ergo. Prob. Min. Est falsa: ergo non est recta. R. N. Min. Ad Probat. D. Ant. Est falsa speculative, C. practice, N. Est enim practice vera, & ideo recta: patet ex dictis in fine art. praecedentis.

Inst. 5. Th. hic q. 19. art. 6. ad 1. ait. *Ad hoc quod dicatur malum id, in quod fertur voluntas, sufficit quod secundum suam naturam sit malum, sive quod apprehendatur ut malum; sed ad hoc, quod sit bonum, requiritur quod atque modo sit bonum*: ergo, quod fit secundum Conscientiam etiam invincibiliter erroneam, est malum. R. D. Consequens. Quod fit secundum Conscientiam invincibiliter etiam errantem, est malum materialiter, C. formaliter, N. Quod ergo S. Thom. requirit ad hoc, ut aliquid sit bonum, quod neque secundum suam naturam sit malum, neque apprehendatur ut malum; vel loquitur de eo, quod bonum est ex omni parte tam materialiter, quam formaliter, vel intelligit, quod ita secundum suam naturam est malum, ut non foretur invincibiliter esse malum; ibidem enim S. Doctor agnoscat ignorantiam invincibilem excusare a peccato formali, etiam in his, quae sunt secundum se mala, ut in adulterio.

Alia argumenta, quae possunt objici contra hanc secundam Conclus. solvuntur ex jam dictis circa primam Conclus. & pro majori parte pertinent ad aliam questionem, utrum ignorantia invincibilis excuset a peccato formali; quod nunc est extra dubium post damnatam hanc propositionem: *Tametsi deus ignorantia invincibilis juris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato.* Est 2. inter damnatas ab Alexandro VIII. De quo alibi.

Obj. 5. contra 3. Conclusionem: Conscientia non potest obligare ad peccandum formaliter: ergo Conscientia, vincibiliter erronea, non obligat ad sui sequelam. Patet Conseq. Quia, qui agit secundum Conscientiam vincibiliter erroneam, peccat formaliter. R. D. Ant. Conscientia non potest obligare ad peccandum formaliter directè & per se, C. Indirectè & per accidens. N. Itaque Conscientia vincibiliter erronea obligat ad actum peccaminosum, quatenus obligat, ut sibi obediat; hoc enim dumtaxat participat ex lege aeterna; est autem per accidens & ex ratione errante, quod obliget in materia legi aeternae contraria: *Deus*, inquit S. Doctor in 2. d. 39. quest. 3. art. 3. ad 4. *non potest obligare ad peccatum faciendum, quia non potest errare, ut si dicat, hoc est faciendum, quod non est faciendum: Conscientia autem errare potest, & ideo non est simile.*

Inst. Conscientia dicit expressè: est hic & nunc mentendum ad impediendam rixas: ergo obligat directè ad peccandum. R. D. Ant. Dicit expressè: est hic & nunc mentendum, prout mendacium proponitur ut bonum & praeceptum a Lege divina, C. Prout mendacium est malum & prohibendum, N. ergo obligat directè ad peccandum, N. Conseq. Quia, quod agens peccat, non ideo est, quia obedit Conscientiae practice, sed quia ista Conscientia errat voluntariè & vincibiliter.

Inferes: ergo, quidquid faciat iste homo, peccabit. Si enim contra Conscientiam agat, peccat juxta 1. Conclusionem; si secundum illam agat, peccat, quia error vincibilis non excusat a peccato: sicut enim perplexus, quod est inconveniens. R. ex (*Hic q. 19. art. 6. ad 3.*) uno inconvenienti liberè posito, nihil mirum, si sequatur aliud inconveniens. Sic supposito, quod

quis intendat vanam gloriam in opere hic & nunc praeco, v. gr. elemosyna, sive faciat elemosynam ex illo fine, sive non faciat elemosynam, peccat; neque tamen est perplexus, qui potest intentionem malam dimittere. Similiter, supposito errore Conscientiae vincibilis & non excusante, necesse est, quod sequatur malum in voluntate; nec tamen homo est perplexus, quia potest deponere Conscientiam, & ab errore recedere, cum ignorantia sit vincibilis & voluntaria.

Repones: Fortè non superest tempus consultationi & deliberationi ad deponendam Conscientiam. R. quod, si reverà ita sit, quod non possit deponi Conscientia, hoc ipso fiet invincibilis: undè agens ex illa excusabitur a peccato, licet ante peccaverit ex negligentia.

Petes, quomodo, qui laborat Conscientia vincibiliter erronea, debeat illam deponere? R. ubi homo incipit dubitare, aut suspicari se laborare Conscientia erronea, sive quia videt alios aliter agere, sive quia exterius aut interiori fuit monitus, sive quis ipsa actionis malitia aliquam sui superiorem ingerit, sive aliunde, debet cum magna prudentia & maturitate procedere ad illam deponendam, ne, si temerè deponat, & fortè Conscientia, quam suspicatur esse erroneam, non sit erronea, se exponat periculo male agendi, quod Conscientia prohibebat, aut male omittendi, quod praecipiebat. Debet ergo moveri tali ratione vel auctoritate, qua prudenter iudicat prius suum iudicium fuisse erroneum, motivaque, quibus in illud inductus fuerat, esse insufficientia, sicque formet iudicium contrarium. Ut autem id assequatur, debet adhibere humilem orationem ad Patrem luminum, rem totam exactè discutere, consulere libros, aut viros doctos & timoratos. Neque tamen, ut rectè monet hic doctissimus Sylvius, debet summam diligentiam adhibere, sed tantam quantum adhibere solent viri prudentes & prohi, qua adhibita, si adhuc errat, cessabit error invincibilis. Sufficit autem, regulariter loquendo, illitteratis, imò & litteratis scrupulosis iudicium, sive Pastoris, sive Confessorii, sive Superioris dicentis Conscientiam esse erroneam; quia jure praesumitur, Deum iis, quos posuit aliorum Rectores, non denegare lumen ad eos regendos necessarium, dum proprium illis deficit. Hinc itaque temerè deponunt Conscientiam, ideoque peccant, qui vel ejus dictamen, quod advertunt, non curant, & agunt perinde ac si nihil diceret; vel qui ab ejus dictamine animam voluntariè avertunt, ne malum deprehendant, & ut liberius agant, quod agere volunt; vel qui levibus & omnino insufficientibus rationibus ad eam deponendam moventur. Dum autem quis a dictamine Conscientiae involuntariè distrahitur, & huius obliviscitur, non est propriè depositio Conscientiae, sed quasi oblitatio; & hic excusatur, sicut qui agit ex ignorantia invincibilis.

Ex dictis in hoc art. colliges 1. Deum non posse dispensare, ut quis licitè agat contra Conscientiam; quia implicat, quod quis agat contra Conscientiam & non peccet, ut patet ex dictis. Colliges 2. Subditum non posse obedire Superiori contra Conscientiam dictantem esse illicitum hic & nunc illi obedire; quia, ut dictum est, nunquam licet agere contra Conscientiam, & ipsa obligat vi praecepti divini, quod praeponderat praecepto hominis. Si tamen sit vincibiliter erronea, subditus tenetur eam deponere, & obedire. (*Q. 17. de verit. art. 5. o.*) Cave tamen, ne hic confundas Conscientiam de licitate, vel illicitate obedientiae praestandae hic & nunc superiori, cum dubio aut iudicio speculativo de injustitia ejus praecepti, prout quidam hic videntur confundere, & ideo hanc questionem valde perplexè tractant & resolvunt. Hac enim sunt omnino diversa, & potest subditus dubitare, aut etiam probabilius iudicare speculative superiori male praecipere, & tamen practice iudicare se teneri hic & nunc illi obedire. Quod ut explicetur, sit

#### QUAESTIO INCIDENTIS.

Utrum subditus, dubitans, aut probabilius iudicans praeceptum superioris esse de re illicita, possit & debeat illi obedire?

Dico: Subditus, qui non est certus, sed dubitat, aut etiam probabilius iudicat praeceptum superioris esse de re illicita, regulariter loquendo, potest & tenetur illi obedire, formando sibi Conscientiam moraliter certam de licitate suae obedientiae ex principis sequentibus. 1. SS. Patres docent, obedendum esse Superiori, quando non est certum, quod id, quod praecipit, sit contra Deum. Aug. 1. 22. contra Faustum c. 75. *Vir justus, inquit, si forte sub Rege homine etiam sacrilego militet, rectè posset illo jubente bellare civica pacis ordinem seroans, cui quod jubetur, vel non esse contra Dei praeceptum certum est, vel utrum sit, certum non est.* S. Bern. libr. de praecip. & dispensat. c. 12. *Quidquid vice Dei praecipit homo, quo tamen non sit certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si praecipiat Deus.* S. Bernar-

